

Letter 124: 1521, Wittenberg, Andreas Karlstadt to Capito

This letter is printed in C.F. Jäger, *Andreas Bodenstein von Carlstadt: Ein Beitrag zur Geschichte der Reformationszeit aus Originalquellen gegeben* (Stuttgart, 1856), p. 506.

Domino Guolphango Capitoni, theologiae sincerioris principi, amico et patrono observando.

5 Dolet mihi, doctissime patrone, varia ista valetudo,¹ atque sic dolet, ut posset propria. Deinde praetendis istis auribus quempiam auditum Vetus Instrumentum negantem. Eam
10 suspicionem tantum abest, ut permittam huic academiae imputari, quod publicis et praelectionibus et disputationibus contendimus, nihil ostendi posse in Novo, quod non contineat Moses. Ita de Mose, ita de prophetis (quos omnes Christus comprobavit) sentimus. Ceterum quod super rara libertate nostra atque tum super improbis omnia etiam optima in sui perniciem detorquentibus quereris, id facis nobiscum. Testor Deum vivum, me vehementer interim angi illius hominis procacitate: at immunis, opinor, Christi philosophia pronuntiabitur, qui ipse se
15 *lapidem angularem* protestatur, in quem impii² pedes impingent, utpote positum in ruinam multorum, id quod impietati debemus. Quotidie Hebraicum lexicon desidero, quod eius sum impense indigens. Si velles diutius tecum latere, meo sumptu, si patereris, transcriberem. Faciem tuam coram hic cupimus spectare, quemadmodum salutem. Vale et me tibi commendatum habe. Wittenbergae etc. 1521.

15 Carolstadius tuus.

¹ Jaeger: 'valetudine', ms: 'valetudo'.

² Ms: 'impii', Jaeger om.